Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2617
Quelle:
Copyright:

dam *in vicum vendentem tus et odores* amandant, non levi certe literariae Historiae jactura.

XV. *fol.* 142. *Scriptum Alme vniuersitatis Studij Wiennen.* Ferventibus inter *Eugenium* Pont. et Patres *Basileenses* diffidiis visum erat *Germaniae* Principibus aliquamdiu sententiam inter utrosque suspendere, atque in hujus propositi consortium Archiepiscopum etiam *Salisburg.* qui tunc erat *Johannes* II. invitare. Vertit is se ad *Viennensis* Academiae consilia. En igitur ejus mentem et Responsum, quo Archiepiscopo nequaquam a Concilii partibus discedendum censet. Initium: *Circa materiam vnionis quam inierant Reverendissimi patres et illustrissimi principes sacri Romani Imperii electores ut dicitur vna cum alijs principibus et prelatis occasione cuiusdam neutralitatis seruande pro bono pacis procurande inter sacrum concilium et dominum olim dictum Eugenium* &c. Nota *olim dictum.* Itaque Concilii autoritas toto scripto fortiter propugnatur, et inter alia ad objectum *Juliani* Card. *S. Angeli* a Concilio ad *Eugenium* et *Florentiam* transgressi exemplum ita respondetur: *Fateor, quod pater legatus dominus Julianus in Basilea existens homo et vir optimus erat nec aliquis ibidem tunc sibi similis videbatur eciam licet in argumento dicatur Cardinalis sancti Angeli vulgariter nuncupatus, forcius tamen esset argumentum, si angelus de celo foret et sic egisset, sed nec sic in hoc negotio imitandus esset quia autoritas sacri Concilij ewangelice Veritati ut immobili fundamento innititur, sed nec angelo de celo contra ewangelicam veritatem credere debere docet nos apostolus — Sed quis nesciat eciam dominum Julianum cardinalem sancti angeli non angelum sed purum hominem esse* &c. Scriptum istud non ante finem anni 1439. exaratum fuisse, inde liquet, quod Autor *Albertum* II. Imp. *diue memorie* adpellet. Quis vero is fuerit, liquet e clausula: *Et sic est finis determinationis seu consilij vniuersitatis Wiennen. quam uel quod dederunt metropolitano suo Archiepiscopo Salczeburgen. Et licet multa fuissent hincinde per doctores collecta consilia presertim doctorum facultatis theologice, magis tamen inter cetera placuit hoc in materia et forma que erat collecta per sollemnissimum sacre pagine doctorem magistrum Narcissum Hercz de perching* &c. de quo Viro aliquid *Cod.* CCCLXVI. Agitur de praesenti negotio in *Seb. Mitterndorferi Consp. Hist. Univ. Vien.* ad an. 1439. — 41. referturque, improbatam ab Universitate fuisse *Neutralitatem* illam; non tamen additur, Theologos saltem pro Concilio contra *Eugenium* stetisse.

XVI. *fol.* 151. Alia ejusdem Universitatis in eadem materia Consultatio, quae inscribitur: *Super consultacione Reverendissimi in christo p. et d. d. F.* (Friderici, qui Johanni 1441. defuncto successerat) *Archiepiscopi Salczeburgen. nec non Apostolice Sedis legati deliberacio et consilium Studij incliti Wyennen.* Initium: *Videtur*